



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

168. Dominica Pentecostes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

petitionem. 1. Ad novem choros Angelorum, 2. Ad B. Virginem, 3. Ad Christum Dominum, pro impetratione Spiritus sancti, qui nos emundet ex toto, illuminet ex toto, & sibi uniat ex toto.

MEDITATIO CLXVIII.

Dominica Pentecostes.

De admirabili Spiritus sancti operatione.

Videbo à caelis in specie ignis venientem Spiritum Dei, & cordis humani arcem expugnantem, immutantem, & in eo residentem, ut totum in partibus, ut ars in arte, ut DEVS in templo. Petam agnoscare operationes Spiritus sancti, earumque fieri particeps.

Conf. 1. Mirabilem Apostolorum mutationem; nam qui antè infirma mundi, in demonum subiectione vanè gloriabundi, de majoratu contentiosi, iracundi, volentes fulmina mitti in Civitatem, tristitia & timore perculsi, ad patientiam Domini JESU scandalizati, negatione Christi contaminati, verè infirma mundi; Nunc verò studijs plane contrarijs imbuti, mundo, sibi que mortui, caelo & Deo pleni, & ab ubertate gratiarum caelestium, quasi musto ebrij, sal terrarum mundi que lux; quia Spiritus sanctus

quoscumque

quoscunque accesserit, eos pro luteis aureos reddidit, inquit D. Chrysostr. in Acta hom. 4.

Conf. 2. Causam tantæ mutationis esse Spiritum sanctum, qui possessionem cordium Apostolorum accipiens, eos per Timorem purgavit, per Pietatem liquefacit, per Fortitudinem consolidavit, per Consilium mentem eorum ad coelestia elevavit, per Scientiam decoravit, per Intellectum illuminavit, per Sapientiam dulcedine replevit, & accendit. Ideo venit in igne, quia & veritate lucet, & fervore divini amoris urit: Venit ut torrens; quia omnes artus & membra consolatione divinâ replet: Et sicut lingua in ore non nocet, sed prodest loquelæ; sic Spiritus sanctus venit in linguis: Quia in anima efficitur nihil desideret, nisi DEVM, eumq. loquatur.

Conf. 3. Dispositiones ad hunc triplicem adventum requiri tres. 1. Est voluntas in omnibus continenter vivendi. 2. Humilitas. 3. Toto ferri desiderio ad Deum. Has Apostoli habuere, ut ait Dominus B. Brigittæ lib. 6. cap. 6. Ideo repleti sunt omnes Spiritu sancto, & imprimis B. Virgo. Orabo iisdem dispositionibus donari ad SS. Eucharistiam accessurus, de qua S. Ephrem lib. de Natura Dei c. 5. ait: *Ignem & Spiritum manducandum, & bibendum præstitit nobis carne vestitus,*

296 FERIA 2. DOMIN. PENTECOST.

vestitis, corpus scilicet, & sanguinem suum.
Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus, &c.

MEDITATIO CLXIX.

FERIA 2. DOMIN. PENTECOST.

De donorum Spiritûs sancti magna vi.

Videbo oppositionem impossibilem Spiritûs sancti, & Spiritûs mali, ex collatione proprietatum utriusque, & fructuum ex arbore bona, & ex arbore mala. Petam agnoscere donorum Spiritûs sancti vim.

Conf. 1. Quomodo ab initio mundi creatus Angelus honori Dei, & bono ipsiusmet Angeli, si Deo se subijceret: quod cum nollet, factus sit defectu proprio Spiritus malus, qui hominem donatum ratione, ut discerneret contraria à contrarijs, meliora ab optimis, & fortitudine, ut persisteret in bono, dejecit per inobedientiam, qui est Spiritus proprius diaboli. Deinde cum Deus legem homini daret, redemptionem promitteret; corda humana timore & amore Dei spoliavit, & incredibile esse, ut Deus moriatur, persuasit, ac tandem veneno suo ex toto implevit.

Conf. 2. Quomodo Spiritus sanctus donis suis mala dæmonis extirpet: quia, ut docet Bonavent, in cap. 11. Luc. Sapientia opponitur